

animæ; multa corpora, sed non multa corda. Ut nescio, quo nominis homine illud Anagramma: *Jonathas et David*, NOTIE UNITAS DATA est, verissimum hic comprobetur.

EBRIETAS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. Ebrietas est excessus in potu voluptatis causa, donec rationis usus adimat. Vel, ut alii volunt, est privatio usus rationis ex immoderato usu rei potabilis ad tempus facta. Dicitur ab *e*, id est, *sine*, et *briam*, quod mensuram significat, ita ut ebrius idem ac *extra briam* significet, uti S. Thomas notat. LAYM. l. III, ser. iv.

DIVISIO. Dividitur a S. Th. et aliis in ebrietatem pro ipsa rationis privatione sumptam, et in ebrietatem pro actu potandi causativo prædictæ privationis acceptam.

Alii in *materialem* et *formalem* dividunt; illam vocant, quando alia de causa, quam voluptatis gratia potus inebrians sumitur; istam, quando propter solam voluptatem se quis per potum inebriat. Alii denique in *plenam* et *plensissimam* dividunt, quarum prior rationis dumtaxat, posterior vero etiam exteriorum sensuum usum magna ex parte tollit.

ACTUS. « Tantum bibendo excedere, ut ratio quidem non omnino tollatur, sed tamen perturbetur; » quæ *crapula* vocatur, de qua S. Aug. locutus est dicens: Ebrietas longe est a me, misereberis, ne appropinquet mihi; *crapula* autem nonnumquam subrepsit servo tuo. S. AUG. X. *Conf.* c. XXXI.

« Bibere usque ad rationis privationem: » qui excessus a modernis scriptoribus etiam *tumulentia* vocatur, quæ rationem penitus labefacet ac tentet. P. GOB. *de Acc. Can. c. v.* n. 9.

« Etiam usque ad privationem externorum sensuum bibere; » quæ *perfectissima ebrietas* merito vocatur. Ib. c. XXI. n. 14.

SIGNA EBRIETATIS. Primum signum est, si quis postridie non meminerit, quid dixerit, aut egerit; nam, cum ratio etiam vim reflectendi se super actus, saltem potiores, habeat, recte colligitur, hæc vi ablata, rationis usum non adfuisse. LESS. l. IV, c. III, n. 30.

Secundum, si commisit, quæ alias com-

mittere non solet; nam ejusmodi actus merito ex spita ratione provenisse præsumuntur. Idem l. c.

Tertium est, si inter bonum malumque non amplius discernere queat. Idem l. c.

Quartum, si non tantum pedes vacillent, et domus everti videantur, sed etiam lingua balbutiat, et objecta duplicia appareant. P. GOB. *loc. cit.* XXXI, n. 7.

EX S. SCRIPTURA.

FUGA. Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa. LUC. XXI, 34.

Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine; quoniam perit ab ore vestro. JOEL. I, 5.

Noli Regibus, Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutant causam filiorum pauperis. PROV. XXXI, 4.

Neque fornicarii, neque adulteri etc. neque ebriosi Regnum Dei possidebunt. I COR. VI, 9.

Sacerdos et Propheta nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt a vino; erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. ISAIAS, XXVIII, 7.

Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. OSEE, IV, 11.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. ECCL. XIX, 2.

Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens. PROV. XX, 20.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed replemini Spiritu Sancto. EPH. V, 28.

Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenderit in vitro color ejus; ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. PAUV. XIII, 31.

Cui vae? Cujus patri vae? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? PROV. XXIII, 29.

Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessionibus eorum, qui carnes ad vesendum adferunt; quia vacantes potibus et symbola dantes consumerunt et vestietur pannis dormitatio. Ib. 20.

Operarius ebriosus non locupletabitur; et qui spernit modica, paulatim decidet. ECCL. XXXIX, 1.

Qui suavis est in vini devoracionibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. PROV. VII, 11.

Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem! ISAIAS V, 2.

Vae qui potum dat amico suo, mittens fel suum, et inebrians, ut aspicias nuditalem ejus! HABAC. XV.

Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. ECCL. XXXVII, 34.

Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum et pingua, non ditabitur. PROV. XXI, 37.

Mulier ebriosa via magna; et contumelia, et turpitudò ejus non tegetur. ECCL. XXVI, 11.

Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester tanquam leo rugiens circumit, quærens, quem devoret. I PETR. VIII.

In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus. JER. LI, 39.

Diligentes in vino noli provocare; multos enim exterminavit vinum. ECCL. XXXI, 30.

Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ib. 39.

Ebrietatis animositas imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera. Ib. 40.

Vinum multum irritationem et iram et ruinas multas facit. Ib. 38.

Vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. AMOS, II, 8.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. Quid autem obstationes potentium loquar? Quid memorem Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquit, pro salute Imperatorum, et qui non biberit, sit reus in devotione; videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O pie devotionis obsequium! O stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui estimant illos ebrietate placere, qui jejuniis passiones sustinere didicerunt! S. AMBR. l. *de Ebia et jejuni.*

Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes

esse videntur. Nascuntur in illis sanguisugæ, ranæ, et diversa genera vermium, qui magis horrorem possunt generare, quam aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere. S. AUG. s. CCXXXI.

Omnes qui ebrietatem sectantur, Filii Belial vocantur; quia venter mero astutus facile despumat in libidinem. S. HIER. in *Reg. Mun.*

Quis currus equorum indomitum ita præceps fertur dominum suum excutiens; quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum et concussum, quod non sit securus ebrius? S. BASIL. hom. *de Ebriet.*

FUGA. Illud ante omnia rogo, et per tremendum diem judicii vos adjuro, ut illam fedam consuetudinem, per quam grandi mensura sine mensura tres homines, aut volentes aut inviti, solebant bibere, tanquam venenum diaboli de vestris conviviis respuatis. S. AUG. s. CCXXXI *de Temp.*

DAMNUM. Per hanc naturam corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, subvertitur ratio, scelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur stultiloquia, detractiones et verba scurrilia, hebetatur mens, maturitas relaxatur, lætitia inepta dissolvit, immunditia polluit. S. LAUR. JUSTIN *de Spirit. anim. interitu* l. I.

Omne bonum spirituale dissipant ebriosi, quia ebrietas est mors omnium virtutum et morum. Ebrietate fit jactura omnium honorum. Si habeat homo humilitatem, mansuetudinem, prudentiam, et cætera hujusmodi, omnia projicit in pelagus iniquitatis; sicut et ebriosi sæpe vestibus suis materialibus spoliantur, sic eorum animæ virtutibus denudantur. BELLOVAC. *Spec. moral.* l. III, p. VIII, dist. II.

Quæ est hominis structura adeo firma, quæ tantis ebrietatis malis resistat? Quis unquam madidum semper, et innatis vino corpus conservavit, ut non exile, dissolutum, et omnibus obnoxium morbis existat? S. BASIL. ap. MANSI, disc. XIX, n. 3.

Mel est, quod ascendit in labia; fel est, quod descendit in viscera.

An non videtis quotidie ex sumptuosissimis mensis, et immodica ingluvie, infinita morborum genera induci? Unde podagra? Unde capitis dolores? Unde corruptorum humorum abundantia? Unde innumeri alii morbi? Nonne ab intemperantia et largiore vini ingurgitatione, quam oportet? S. LAUR. JUST. c. XI *de Humil.*

Ebrietas spontaneus est furor, perditio cogitationum, ridicula calamitas, morbus sanis expositus, voluntarius demon, et ipsa molestior insania. S. CHRYS. hom. x. in *Gen.*

Demoniaci ebrius est deterior; miseremur ejus, qui a demonio vexatur; hunc odio prosequimur; illi enim injuria, huic negligentia est morbus. Nec aliter affectus est ebrius, quam demoniacus; pariter circumagitur; pariter de statu mentis dejectus est; pariter concidit; pariter oculos contorquet; pariter jacens in terra pedes jactat, spumam ex ore projicit, et ita foetentem salivam exhalat. Injucundus est talis amicis, ridiculus inimicis, contemptibilis servis, uxori ingratus, omnibus molestus, ipsis bestiis asperior. Bestiæ bibunt, dum sitiunt. Hic imperantia cupiditatem transiit, et ratione carentibus a ratione alienior apparet. Verum illud multo intolerabilius est, quod morbus tot malis redundans, totque secum invehens calamitates, ne quidem crimen censetur, sed in divitum mensis hujus turpitudinis gratia pugna fit, atque certamen. Et videre est stadium, certamenque diabolicum. Ebrius mortuus miserior est; ille enim sensu destitutus est, nec ad bona nec ad mala potest excitari; hic vero ad mala exequenda promptus est, et anima in corpore, ceu in monumento defossa, mortuum corpus circumfert. Nemo, qui vino inebriatur, divinorum esse cupidus eloquiorum potest. Idem. *contra Ebrietatem.*

Ebrietas demon est voluntarius animis nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperante facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit; sicut enim aqua igni est adversa, ita vinum immodicum rationi, etc. Quid quaeso sint ebrii aliquid, quomodo Gentium idola? Oculos habent, et non vident. S. BASIL. hom. xiv. in *Ebr.*

Ebrietas fomentum libidinis, incentivum insanie, ebrietas venenum insipientiæ. Hæc sensus hominum mutat, ac format; per hanc fiunt ex hominibus equi adhiimentes etc, vocem amittunt, colore variantur, oculis igneant, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt. S. AMBR. in lib. *de Elia et jejuniis.*

Ubi ebrietas, ibi diabolus; ubi turpia verba, ubi saturitas, illic demones choreas agunt. Talem habebat mensam dives Epulo, propterea ne quidem guttæ aquæ dominus fuit. S. CHRYS. *ad populum Antioch.*

Vinum et adolescentia duplex est incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? Quid ardenti corpuseculo fomenta ignium ministramus? S. HIER. ep. xxii. *ad Eust.*

Audite, ebrietas quid agat. Audite, quantum facinoris conciliet temulentia. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit; uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit. ORIGEN. in *Gen.*

Non Æthiæ ignes, non Vulcanæ tellus, non Vesevus et Olympus tantis ardoribus aestuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammate. S. HIER. *ad Fur.*

Ebrietas mater litium, furoris generatrix, petulantia magistra; hæc qui habet, homo non est; hæc qui habet, peccatum non facit, sed est ipse peccatum; hæc enim est rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, et pudoris injuria. PETRUS RAV. in quod serm.

Quid infelicis ebrietatis dominatu? Ventri ultra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, et mortem quamdam naturæ incolui imperare? S. HILAR. in *Ps.* cxxv.

Ebriosus cum absorbet vinum, absorbetur a vino, abominatur a Deo, despicietur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur a virtutibus, confunditur a demonibus, concaleatur a bestiis. S. AMBR. l. *de Pan.*

Si posses animam hominis peccatis involutam oculis cernere, non dubitares, multo melius esse in sepulcro jacere vivum corpus, quam jacere animam in vivo corpore vino sepultam. S. CHRYS. hom. xxviii. in *Math.*

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote Sacrilegium. S. PETRUS CHRYS. ap. FAB. c. vii. in *Dom.* 2. post *Epiph.*

Nullus tam gravem injuriam sanctis Angelis, vel sanctis hominibus, agnoscat irrogare, quam qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem suas animas probantur occidere. S. AUG. s. cccxxii. *de Temp.*

Primum ebrietatis malum est pudicitia periculum. ECL. ii. 2.

Ebrietas cor mutare, et mentem alienare solet. AMBR. l. i. *de Virg.*

Ebrietas causa est servitutis. GREG. sup. l. *Regist.*

Ebrietas mater est scortationis. AMBR. *de Elia.*

Ebrietas tempestas est tam in animo, quam in corpore. CHRYS. s. xxi. *super Epist. ad Bom.*

Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudine morum, dedecus vite, honestatis infamia, animæ corruptela. Idem *ad populum Antioch.* hom. xlvi.

EXEMPLA CATHOLICA.

Salomon de seipso confessus est: Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam. S. AUG. *ad Sacram. Virg.*

Anna, Samuelis mater, numquam bibit vinum. Idem sanctæ sorores Martha et Maria Magdalena, post Christi in caelos reditum, fecerunt. DREX. in *Tob.* c. iv. § 2.

S. Gabriel Archangelus inter majora admirande sanctitatis S. Joannis Baptiste indicia ponit, quod vinum, siceramve non sit bibitarius. LUC. i. 15.

S. Hieronymus testatur, Palestinæ Monachos olim ne ægris quidem sibi vinum indulsisse. S. HIER. ep. xxii. *ad Eust.*

Quidam adolescens, cum a Principe quodam ad largius potandum urgeretur, respondit: Veniam peto, Clementissime Princeps. A bestia parum absum, vultne Clementia Sua totum me bestiam fieri? ENGELG. conc. in *Dom.* 2. post *Epiph.* § 4. *Ibid.* in fin.

Alius quidam, cum ingens poculum in sanitatem alterius evacuandum ei offerretur, ingens frustum secalicæ panis ei obtulit, dicens: Ede tu istud in meam sanitatem, et ego tunc poculum hoc in tuam sanitatem ebibam. S. GREG. in l. *contra Propin.*

Joannes, Comes a Schwarzemberg, præter varia opuscula, quæ ex Cicerone in linguam Germanicam transtulit, et alia, e quibus etiam quædam proprio Marte vulgavit, unus est, quomodo contra propinationes et propinatores edidit, quod vitium seu consuetudinem ipse vocavit *Das Haupt Laster des Zutrinkens*, et non tantum calamo ac verbis insectatus, et abolere conatus est, sed ipse etiam reipsa fugit; et alios ad idem inducere laboravit. Fuit quidem, dum junior in aula Principis esset, temulentia et lusu deditus, ut pater

ejus Sigismundus a Schwarzemberg, in Hohenlandsberg, eum a Rheno in Franconium, domum, revocaret, serioque ei comminatus esset, nisi ab ea ingluvia desisteret, se velle illum exheredare, ac potius bona sua lupanari relinqueret, quam filio tam male morato. Quæ comminatio ita Joannem commovit ac emendavit, ut polliceretur, se plus annuatim æris non insumpturum, quam ipsi pater assignaret; nec in diem unum plus quam florenum Rhenensem lusu impensurum; popinationes autem omnes omnino prætermisurum. Id postea in omnem vitam diligenter ac perpetuo præstitit; ac præsertim propinare nec ipse unquam exinde visus est, nec propinanti cuiquam respondere. Dicere solebat, malle se videre filios honerata morte ab hoste occisos, quam præ ebrietate sui ac pedum impotes ad se deferri. Hinc et ipsos et nepotes continuo sobrietatis admonebat.

DAMNUM. — S. Gregorius Turonensis de Presbytero quodam refert, cui nomen Binocus Brito erat. Hic, cum vir abstinentissimus esset, herbis vivebat silvestribus minime coctis, vinum vero cum tanta temperantia sumebat, ut magis putaretur libare osculo, quam haurire. Accidit autem, ut dum ex magna devotiorum concurrentium multitudine, ut se ejus intercessionibus recommendaret, quidam eorum multa ei offerbat munera, et inter alia quoque vinum; unde paulatim a cepto pie vivendi modo declinavit. Didicit extra modum haurire, et in tantum dissolvi, ut plerumque ebrius cerneretur, unde factum est, ut invalescente temulentia, tempore præcedente a demone correptus vexaretur in tantum, ut accepto cultro (vel quodeumque teli genus, aut lapidem, aut fustem potuisset eripere) post homines insano furore discurreret. Unde necessum fuit, Presbyterum arreptitium vinculis et catenis constructum in ejus cella coercere. S. GREG. *TUR.* lib. VIII. *Histor. Francof.* xxxiv.

Quodam vice in Conventu Bononiensi S. Dominici Conversus quidam fuit a spiritu maligno possessus, cui cum Fratres indicassent S. Dominium in Ecclesia orationi operam dare, illic accurrat, cumque sanctus vir Dei demone de sua presumptione redarguisset, se ex excusando respondit, Conversum hunc statum optime fuisse commeritum, eo quod pridiana die in civitate sine licentia vinum hiberit, ac proinde in eodem potationis actu corpus ejus Dei permissione

ingressus fuerit. *Pratum floridum* l. II, c. LXXXVI.

Bellovacensis de artifice quodam refert, qui in certo quodam illorum Monachorum monasterio laborabat, cujus V. Beda, *de Gestis Angelorum*, mentionem facit. Hic igitur diebus festivis potius crapulis et ebrietatibus vacabat, quam ut operam suam divino cultui, et animæ salutis impenderet; cum vero infirmatus mortis proximus esset, pius Monasterii illius Religiosus ad se accersivit, iisque salutem suam desperatam esse dixit, addiditque, quod viderat infernum apertum, et Satanam in profundum mersum, cum Caïpha et cæteris crucifixoribus Domini æterno incendio traditum, in quorum inferis viderat sibi locum deputatum. Cui cum dicti Religiosi cum ingenti spiritu fervore promitterent veniam, dummodo ipse penitens, veræ compunctionis actus in se excitaret, infirmus hac promissione sprete respondit, quod videbat instare iudicium, nec esse sibi ultra spem salutis, et hæc dicens expiravit, sine Viatico, et aliis signis salutis. Unde ab aliis separatim sepultus fuit, nec quisquam pro anima ipsius Sacrificium Deo offerre præsumpsit. BELLOV. p. VIII, l. III, dist. III, *Spec. mor.*

Terribile factum quoddam a Martino Delrio, et ab aliis scriptoribus classicis refertur, videlicet quod in Comitatu Flandriæ in quodam Prioratu, ubi tres morabantur homines, de nulla alia re, quam de cibo, potu et fornicationibus cogitantes; quorum unus vesperi finita mensa aliis dixit: Sat Baccho, libidinique datum. Deo gratias agamus! Ubi alter respondit: Ego dæmoni gratias ago, et agendum censeo, cujus opus agimus. His dictis singuli lectum petierunt, singulas secum impudicas ducentes feminas, cumque vix se vestibus exuissent, comparuit dæmon, portam aperiens, et habitum venatoris aspectumque præferens horribilem, cum duobus aliis minoris stature, qui coeci esse videbantur, ingressus est, torvoque vultu quaquaversum aspiciens voce horribili exclamavit: Ubi est, qui mihi gratias egit? Adsum, referam. Ad quæ verba temerarius exhorruit, et tantum non mortuus est. Dæmon vero illum e lecto extractum subito astantium cocorum consignavit manibus, ut eundem vero infixum ad ignem ibidem accensum torrerent. Assatur infelix, inquit auctor, emoritur planissime; alii autem cadaver hoc ad ipsorum exemplum tostum

videntes, et fetorem intolerabilem percipientes longe amplius inhorruerunt, quibus diabolus, priusquam discederet, inquit: Digni vos etiam estis pari supplicio, nec deest voluntas mihi; velor vi majori, invitæ abeo, et moneo, respiciate, aut manent terribiliora. MART. DELRIO. l. III, *de Magic.* p. 4, q.

Citatus Bellovacensis de quibusdam Monachis refert, quod, cum ad Sultanum, ut eum per prædicationem et doctrinas suas ad fidem nostram converterent, profecti essent; hic illos circa abstinentiam a lege nostra Evangelicæ præscriptam interrogavit, an videlicet carnem manducarent, et a mulieribus absterent, quibus affirmative responderunt, iterum interrogavit, num abstemii essent? Qui se a vino bibendo non abstinere responderunt; quo audito magna cum honorificentia eosdem excepit, et lautissimum convivium, sine tamen vini potu, instaurari fecit; nocte vero sequenti eum ad lectum, quietis captandæ causâ, concessissent, impudicas quasdam feminas ad eosdem immisit, quæ eos tentarent, at ipsi constantes permanentes easdem generose repulerunt; post aliquantulum tempus cum abstinentiam a vino, fecit eis propinari vinum fortissimum; illi autem, qui a vino diu abstinerant, avidius hiberunt, non temperantes, ut oportuisset; et cum essent inebriati et quasi consopiti, misit ad eos dictas mulieres, quibus sollicitantibus absorpti a vino consenserunt. Vereque tunc in iis adimpleta fuit illa Ecclesiasticæ sententiâ: « Vinum et mulieres apostatæ faciunt sapientes, et arguent sensatos. » BELLOVAC.

Auctor quidam modernus refert ex plurimum aliorum historicorum testimoniis sequens factum, quod in quodam Germaniæ castello, anno 1586, 24 Julii, contigit. Neckershovii enim duo impii hospitium ingressi vinum postularunt, quod quidem illis datum est, non tamen adeo generosum, quale postea petierunt, et impetrarunt; quo accepto, petulantur se mutuo ad haustus faciendos invitarent, quod cum diu continuasset, unus illorum ex vino inalescens sodali suo dixit: Cui nunc bibam? Respondit alter: Bibe Deo, videbis, quid responsurus sis. Vitrum arripit miser, et his verbis Deum compellat: O Deus, audi me, tibi de pleno scypho propino, et nisi rationem feceris, injuriam mihi feceris. Hinc socium interrogans, quod Deo vinum propinare deberet, quia duplæc sortis

vinum habebant, communicæ consensu debilius electum fuit, dicendo, hoc Deo sufficere posse; scyphum itaque elevans ait: Tibi, o Deus! Miror, an reperies bonum? Si hoc anno illud melius effecisses, melius bibisses. His prolatis confestim irriguit, immobilis factus, sensus, respirationis quoque et loquelæ impotens. Socinus eo prodigio deterritus, fugit, alii eo in loco tunc presentes amovere conati sunt, sed frustra. Quare funibus eum ligarunt, quibus tres admoti equi, ut eum loco dimoverent, sed ne ad unicum quidem passum protrahi potuit; hinc Magistratus, ut accensus circa eum ad comburendum ignis extrueretur, præcipit; sed neque hic quidquam in eo operatus fuit, sicque multo tempore ibi stetit immobilis, non loquens, neque bibens, neque manducans, ut omnes agnoscerent iudicium Dei. MARC. in *Hort. Past. sup. Sacer. Lect.*

In historia Caroli Magni legitur, quod, cum Franci essent insuperabiles a Saracenis, et semper eos vincerent, duo Reges Saracenum promittentes, quod baptizarentur, miserunt eis vinum fortissimum, et mulieres Saracenas, quorum multi inebriati et victi a vino, incidenter in fornicationem, et victi sunt et occisi a Saracenis, victi inquam spiritaliter, et postea corporaliter. BELLOVAC. l. c.

Quidam curialis in Valeriana Provincia sanctissimo Paschali sabbato juvenulam e jusdam filiam in baptisate suscepit. Qui post jejunium domum reversus, multoque vino inebriatus, eandem filiolam suam secum manere petiit, eamque nocte illa (quod dictu nefas est) perdidit. Cumque mane facto surrexisset, reus cogitare cepit, ut ad balneum pergeret, si aqua balnei lavaret maculam peccati. Perrexit igitur, lavit, cepitque trepide Ecclesiam ingredi. Sed si tanto die ad Ecclesiam non iret, erubesceret homines; si vero iret, pertimescebat iudicium Dei. Vicit itaque humana verecundia; perrexit ad Ecclesiam sed tremebundus ac pavens stare cepit, atque per singula momenta suspectus, qua hora immundo spiritu traderetur, et coram omni populo vexaretur. Cumque vehementer timeret, ei in illa Missarum celebritate quasi adversi nihil contigit. Qui lætus exivit, et die altero Ecclesiam jam securius intravit. Factumque est, ut per sex continuos dies lætus ac securus procederet æstimans, quod ejus scelus Dominus aut non vidisset, aut visum mise-

ricorditer dimisisset. Die autem septimo subita morte defunctus est. Cumque sepultura traditus fuisset, per longum tempus, videtibus cunctis, de sepulcro ejus flamma exivit, et tandiu ossa ejus coneremavit, quousque omne sepulcrum consumeret, et terra, quæ in tumulo collecta fuerat, defossa videretur. Quod videlicet omnipotens Deus faciens, ostendit, quid ejus anima in occulto pertulit, cujus et corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re nobis quoque audientibus hoc exemplum formidinis dare dignatus est, quod anima vivens ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa coneremantur. S. GREG. l. IV *Dial.*

Sacerdos quidam impudicus ebrietas et luxuria deditus, miserrime de hoc sæculo migravit, cujus corpore in cæterorum sepulcro barathro Sacerdotum, ut ejus punitio cunctis innotesceret ad exemplum, subsequenti nocte tantus in Ecclesia ejusdem cœmeterii fuit strepitus, quod rumore nimio in vicinia commorantes, excitati pavore ingenti, velut amentes ad Ecclesiam cucurrerunt. Stant itaque omnes circa Ecclesiam, strepitus vehementes, campanarumque sonitus audientes, sed minime quid videntes, divinam exorant elementiam quatenus, cur ista fiant, debeat revelare, sed nullum exauditionis sentiunt adjuvamen. Diluculo hoc cessante, cuncta, quæ fuerant in Ecclesia, reperuntur revoluta, et quasi undique flammis ignium violata. Ad hoc ejusdem civitatis, scilicet Candiæ, Pontifex orationes indicens populo, quid sequenti nocte eveniat, præcepit expectari. Ne nimis succumbam verbis, sequenti nocte duplex strepitus et pavoris tribulatio est secuta; qua de re repletus populus amaritudine et dolore, cernens nullum sibi a Domino adiutorium evenire, sicut vulnerati (qui in monumentis projecti dormiunt) existebat. Die autem elucescente, omnibus in Ecclesia pro orationibus congregatis gloriosus Hieronymus subito septies sole splendori, in Ecclesiam veniens, ad altareque gradiens, cunctis videtibus et mirantibus, per horam forte sub silentio permanens, obstupenti populo, hæc propter Sacerdotis illius miserrimi cadaver, sacris indigne locis conditum ad terrorem peccantium contigisse intimavit, mandans, ut cadaver miserum Tartarei post resurrectionem omnium mansionibus deputandum, dissepulturnam flammis traderent protinus coneremantur.

dum, alioquin incepta pestilentia non abiret et sic ab inuentum oculis est inuisus. Quod ut ordinaret letabundus populus protinus implevit, Deo et beato Hieronymo laudes præcipuus persolvendo, et sic pestis postea cessavit. *Specul. Exempl. v. v. Ebrietas*, Exempl. III.

Noe licet perfectus in generationibus suis per ebrietatem in tabernaculo nudatus est. GEN. IX.

Lot, quem Sodoma non vicit, vino inebriatus geminum commisit incestum. GEN. XIX.

Holoferni, quia plus, quam unquam alias biberat, caput a Judith resectum est. JUDITH. XI.

S. Augustinus pro concione dixit: Ecce præclarissimus civis noster, et fere omnibus dilectus Cyrillus filium habebat, ut scitis, quem corrigere volebat, et luxuriose vivendo insumpsit partem honorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perperuss matrem prægnantem nequit oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, et duas sorores ad mortem vulneravit. S. AUG. XXXIII.

In Gallia cum aliquot combibones mero inebriasset, et unus irridens Sacerdotes animarum immortalitatem prædicantes, dixisset: Ego animam meam venderem pro pretio omnibus nobis hodie ad bibendum sufficiente. Subito adfuit Diabolus, et pretio soluto blasphemum corpore et anima in infernum abduxit, dicens, æquissimum esse, ut is, qui equum emit, etiam frenum accipiat. *CANTIPR. l. II Apun. c. III.*

Indus quidam vino deditus cum poenitentia beneficio naturam tandem vicisset, et ad sobrietatem se revocasset, candidum dicitur adolescentem per quietem vidisse, qui eum prehensa manu ad compotatorum coetum conviviumque deduceret; ibi animadvertisse eorum, qui accumbebant, vultus, primo quoque poculo hausto mutari, deformesque fieri; qui vero pergerent perpotare, et crebris poculis indulgerent, eos foedissimo ore, simillimosque Demonum evadere, dixisseque adolescentem, tales effici eos, qui se vino et ebrietatibus dedissent. Ex quo viso Indus sobrius esse coepit, et incredibilem quandam temperantiam amore concepit. *Litter. ann. Soc. Jesu, an. 1585, f. 499.*

Milites duo nobiles inter se helluantes pacti erant, ut, qui prior eorum surgeret, in Diaboli esset potestate; quod pactum adeo

displicuit Deo, ut utrumque mercatore, qui illac iter faciebat, inspectante, a Dæmone suffocari permisit. *Pæd. Chr. t. I, c. VII, n. 34.*

Bæcharaci, oppido non procul a Moguntia distante, anno 1595, decoctor quidam ad popinam propinans, cum uxorem frustra dehortantem male muletasset, et cum suo diabolo (id est, fetu, quem utero gerebat) in malam crucem ire jussisset, illa domum redeunte, et ante tempus fetum pariente, qui umbilico tenuis hominem, reliquo corpore serpentem cum cauda tribus ulnis longa referebat, ab eodem fetu ita per caudam implicatus et cruciatus est, ut exanimis conderit. *Ibid. n. 3.*

Anno 1650, Adamus Steekman, vinitor in quodam Alsatia oppido, cum pecuniam in caupona potando et ludendo consumpsisset, tristitia et desperatione eo adactus est, ut paulo post absente uxore, filium in primis panem petentem, filiamque cultrum afferentem, et post hos etiam infantem in cunis vagientem occiderit, uxoremque ex vinea redeuntem, et tam tristi spectaculo repente exanimatam amiserit, et ipse tandem a Judice comprehensus per ignitas forpices et rotam misere perierit. *Ibid. n. 6.*

Benadad, Rex Syria, temulentus in tabernaculo suo, habebat maximam multitudinem bellatorum, et tamen victus fuit et fugatus per pueros principum provinciarum. *III REG. XX.*

Dives Epulo ob excessum in potu ne guttulam quidem aque post hanc vitam habere meruit. *LUC. XVI.*

Cum Michael III, Imperator, se vino ingurgitare consuevisset, quo tempore ebrius erat, absurda multa fieri imperabat; alii enim aures amputari, alii nares, alii caput, quæ fieri Basilium vetabat, non tam aliis quam sibi ipsi metuens; ut igitur sibi ipsum obstare Michael novit, contra ipsum tales molitur insidias: Cuidam præcepit, ut hastam jaceret verbo contra feram, sed re contra Basilium, idque plane factum est, jecit hic hastam sed aberravit, atque Basilium servatus est; servatus autem studuit aliquid committere quam ipse pati, et ita Michael occidit ad palatia divi Mamantis, anno 1073, hora noctis tertia, cum ex somno, quo ob temulentiam oppressus fuerat, orto tumultu conspirantium expectatus fugere non poterat ebrietate impediante. *BARON. c. X Ann. 867, n. 20.*

Zeno, Imperator Orientis, gula et ebrietati deditus, errore mentis sic affici solebat, ut prolapsus a mortuo nihil differret. Cum vero ipsi etiam conjugi Ariadnæ in visus esset, sic inebriatus pro mortuo in monumentum imperatorum ab illa conjectus est, lapide maximo, qui pro operculo esset, imposito, factusque sobrius inter lamentationes et ejulatus misera et horrenda morte extinctus est, cum Ariadna prohiberet, nequis monumentum aperiret, aut illum curaret. *LOXAR. t. III Ann.*

Anno Domini 912, Alexander Imperator, sexta die mensis Junii, moritur infami exitu; ipse enim hac die lotus et pransus vinoque ebrius post meridiem pila lusurus descendit, exortoque labore quodam in ipsius intestinis pro cibis, quibus se ingurgitaverat, atque ebrietate, reversus in palatium multo e naribus et pudendis effuso sanguine, postridie mortuus est. *BARON. c. X, Ann. 912.*

EXEMPLA PROFANA.

Alexander quem tot itinera, tot proelia, tot hymenes, tot flumina ex alto cadentia, tot maria tutam dimiserunt, intemperantia bibendi et ille herculeus ac fatalis scyphus condidit, et ut, carissimum sibi ac fidelissimum amicum inter epula transfoderet, persuasit. *SENECA, ep. 83.*

Alphonsus, Rex Aragonum, ebrietatem et ebrius, cane pejus et angue oderat; rogatus vero tanti odii causam? Quia scio, inquit, furorem et libidinem ebrietatis esse filias. *DREX. in Joseph. c. XIV, §. 3.*

M. Antonium virum magnum et ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, et in exterius mores ac vitia trajecit, quam ebrietatis? inquit, Seneca. Hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit. S. AUG. s. 33 ad *Frates. in Erem.*

Romani eos, qui se vino ingurgitabant, adeo exosos habuerunt, ut a Senatu et publicis muniis velut indignos removerent. Illic usque ad annum trigesimum masculis vini usus non concedebatur, feminis vero omnino ignotus erat. *ALEX. AB. ALEX. l. III, c. XI. VAL. MAX. l. III.*

Hispani ne in testem quidem amplius admittunt illum, qui semel ebrius extiterit. *TYMPIUS, in Spec. Princ. Sig. 43.*

Darius Rex adeo comotationibus deditus erat, ut illi pro elogio sepulchrali adscri-

ptum sit: Potui et multum vinum potare, et hoc probe ferre. *JOAN. DAVID, in Verid. c. LXV.*

Stratonicus Citharadus per diem totum in popinis versatus, etiam dormiturus poculum semper adferri jubebat; non quod sitiret, sed ne sitiret. *ENGELGR. Dom. 2. post Epiph.*

Georgius Buchananus cum medicis consulti dixissent, eum, si a potu, ex quo hydropem contraxerat, abstinere, per sexennium vivere posse, sin vero, intra tres hebdomadas moriturum; respondit, malle se tribus hebdomadis strenue bibere et mori, quam per sexennium modice et misere vivere. *Ibidem.*

Agrigenti juvenes quidam adeo per vinum largius potum dementati fuerunt, ut in mari navigare se credentes, et gravi tempestate jactati, omnem suppellectilem, quasi exoneraturi navem, foras proicerent. *ATHENEUS, lib. II.*

Greci sanxerunt, ut, qui potationibus patrimonium dilapidasset, non sepeliretur in majorum suorum monumentis, sed ingloriosius in quisquiliis abjiceretur. *ALEXAND. AB. ALEX. lib. VI, Gen. dier. c. XIV.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut difficiles faciunt oculos continui morbi etiam ad minimam radii solis offensionem; ita ebrietates continuæ efferrunt animos, nam cum sæpe apud se non sint, consuetudine insanie durata vitia, vino concepta etiam sine illo valent. *SENECA, ep. 81.*

Sicut musto dolia ipsa rumpuntur, et omne, quod in imo jacet, in summam partem vi caloris ejetat; sic vino exastuans, quidquid in imo jacet abditum, effertur, et prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent ebum redundantem, ita ne secretum quidem; quod suum est, alienumque pariter effutunt. *Ibidem, ep. 83.*

Sicut spine se invicem complectuntur; sic convivium eorum pariter potantium. *NAHUM. c. I, f. 10.*

Sicut valles, donec torrentibus inundantur, plene esse videntur, unda vero desinente statim sicca, vacuæque remanent; sic et violentorum ora vino ac potatione durantibus exsaturantur ac madescunt, paulo post continua siccitate laborant, ex quo ad frequenter bibendum invitantur, unde humor naturalis amittitur. S. CHRYSOS. *hom. de Ebrietate.*

Sicut herbe, que in paludibus vel circa ripas nasci solent, nihil utilitatis habent, in tantum ut annis singulis incendio concrementur; ita quod de ebrietate nascitur, igni præparatur. Idem, ser. 231.

DAMNUM. — Sicut navis, que aquis impletur, si exhauriri nequit, in profundum mergitur; ita homo, cum crapulæ et ebrietati se exponit, in præceps vadit, rationemque omnem amittens demergitur in profundum inferni. Idem, hom. IX, in *Gen.*

Sicut in præcipiti stantem vel levis taetus impellit; ita vino vel infusum, vel aspersum parvus quoque dolor incitat in furorem. **MACROB.** VII, *Satur.*

Sicut aqua extinguit ignem; ita vinum extinguit rationem; et ut aqua maris navem, sic vinum vitis homines submergit. S. **BASIL.** hom. in *Ebriet.*

Sicut Seducias Rex, effossis oculis, cæcus in Babylonicam captivitatem abductus est; sic ebrii rapiuntur in Infernum. **IV Reg.** ul.

Sicut vipera, dispositis ad bibendum vasibus, vino ebriæ capiuntur, et quidem facile, cum tunc inertes et inermes sint; ita ebrii pari facilitate a diabolo capiuntur. **ARISTOT.** I. VIII, *Anim.* c. IV.

Sicut, cum febris cessaverit, tamen debilitas contracta diu manet; sic ebrietate transacta, effectus tamen illius tam corpus, quam animam debilitat. S. **CHRYS.** hom. XXXVII, in *Math.*

Sicut, quamvis ex tempestate tranquillitas sit facta, detrimentum tamen, quod inde secutum est, non restituitur, si semel iactura facta sit; sic omnium pene bonorum iacturam patiuntur ebrii. Idem.

Sicut pluvia nimis grandis et diuturna si fuerit, terra confunditur, et in lutum resolvitur; ut nulla in ea cultura fieri possit; sic et caro nostra quando abundanti potu fuerit inebriata, nec spirituales culturas suscipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere. Et ideo quomodo omnes homines sufficientem pluviam in agris suis accipere desiderant, ut et culturam valeant exercere, et de fructuum ubertate gaudere; ita et in agro corporis tantum debent bibere, quantum oportet, ne per nimiam ebrietatem ipsa corporis terra velut in paludem conversa magis serpentes et vermes vitiorum generare, quam fructus bonorum operum possit afferre. S. **AVG.** de *Vitiis, Ebrietas.*

Sicut navis, cum gubernator dormit, et anchora amissa est, ducitur et circumfetur

a quolibet flatu venti; sic mens ebrii, ejus ratio consopita est, et sine anchora timoris Dei, de facili ducitur ad omne peccatum levi flatu tentationis. **BELLOVAC.** *Spec.* I. III, p. VIII, dist. III.

Sicut sessor ducit equum quocumque voluerit, postquam ipsum infrenavit; sic gula ducit gulosum ad omne peccatum, ex quo homo vitio gula infrenari se permittit. Ideo in *Psal.* 31, dicitur: *In como et freno maxillas eorum constringe*: S. **BONAV.** in *Diet. Salut.* tit. I. c. VIII.

Sicut rusticus capit ursos, liniens ramos arboris melle, et cum gradatim ursus ascendit per ramos arboris, credens attingere ad examen et favum, quem credit invenire in arbore, subito cadens, capitur in fovea, quam rusticus subito paravit; sic gulosus delectationem dum quaerit per diversa feracula, quibus repletur, incidit in foveam diaboli, id est, in infernum. **BELL.** I. c.

Sicut castrum custode interempto, facile illud occupatur; sic et in animæ arce, ejus custodia, rationi est concedita, que si jacet sepulta, jam omnibus vitiis redditur pervia. **MANST.** disc. IV, n. 6.

Sicut in pergamento pingui et humido non formatur, vel imprimitur bene littera, quia diffunditur, nec retinet debitam impressuram, sed in sicco et tenni bene imprimatur, et retinetur; sic homo imbutus deliciis, non bene retinet sapientiam, que, ut dicit *Job.* 28, non invenitur in terra suaviter viventium. **BELL.** I. c. dist. I.

MOTIVA.

Quia vitium hoc ebrietatis est nocentissimum; uti Seneca sapienter advertit, dum dicit: Cogita, quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc accerrimas Gentes bellicosissimasque tradidit; hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit; hæc contumacissimos et jugum recusantes in alienum egit arbitrium; hæc invictos acie mero dejecit. **SENEC.** ep. LXXXI.

Brevius vero S. **AMBROSIIUS**: Diversa, inquit, singulis peccatoribus mala eveniunt, temulentis omnia. S. **AMBR.** I. I, de *Isaac*, c. v.

Sed et S. **CHRYSOSTOMUS** id confirmans ait: Vini largior usus infinitorum malorum causa est; ut adeo ebrietas unius horæ hilarem insaniam longo temporis tedio penset, teste Seneca. S. **CHRYSOS.** hom. X, in *Gen.*

Quia gravissimum quoque vitium est; nam, ut S. **AUGUSTINUS** dixit: Ebrietas flagitiorum omnium mater, omnis luxuriæ soror, naufragium castitatis est. S. **AUG.** ser. 231.

Quia periculosissimum omnium vitiorum est; quia ebrium sic finire est, æternum interire. Hinc Christus monuit: Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, aut ebrietate, et superveniat in vos repentina dies illa. **LUC.** XXI, 34.

Quia turpissimum est; nam in primis facit demoni similem, uti S. **BERNARDUS** testatus est dicens: Multi per ebrietatem a demonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas, quam voluntarius et manifestissimus demon. S. **BERN.** I. de *Modo bene viv.* c. XV.

Deinde sicut Ulyssis socii in porcos mutati sunt per phyltrum a Circe oblatum; ita per ebrietatem in bestiam convertitur ebriosus. Quid aulem fœdus, quam ut homo bruti animalis imago sit? inquit recte Musonius in I. de *Victoria.*

Denique ipse modus, quo committitur ebrietas, turpitudinem illius satis demonstrat. Quam turpe enim est, inquit Seneca, plus sibi ingerere, quam capiat, et stomachi sui non esse mensuram! Quam multa ebrii faciunt, de quibus sobrii erubescunt!

Quia curatio difficillimum est vitium; nam, teste **PLINIO**, hæc necessitas vitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem. Quanto plus biberit, tanto plus sitiunt. **PLIN.** I. XI, *Nat. Hist.* c. XXII.

Hinc S. **AUG.** «Ebrietas, inquit, est, quasi inferni puteus, quocumque susceperit, fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipso de inferni tenebroso puteo ad sobrietatis lucem redire non permittat.» S. **AUGUST.** ser. 231, de *Temp.* Et, teste S. **HIER.** «Facile caremus aliis vitiis, hic hostis nobis inclusus est, quocumque pergemus, nobiscum portamus inimicum.»

Quia morborum gravium causa est, uti S. **BASILIIUS** indicavit dicens: Famulus profugit ab hero verberante, tu vero non recedis a vino, quod quotidie contundit caput tuum. Modus utendi vino optimus est, corporis necessitas. Cum fines prætergredieris, postriedie venies capitis graveline affectus, oscitans, vertigine laborans, putrefactum obolens vinum. S. **BASIL.** hom. I, de *Laud jejun.*

Quia vitium abbreviat; nam propter crapulam multi obierunt, teste **SIRACIDE**; cum tamen a sæculi origine si repetamus, mundus hic, usque ad sexcentissimum tertium Noe

annum, prorsus vinum ignorasse cognoscitur, cum per tot curricula temporum obisse quidem, sed nullus hominum ægrotasse legatur. S. **PETRUS DAMIANUS**, I. VI, ep. XXIII.

Hinc merito S. **CYRILLUS** sic hortatur: Audistis edictum Regis æterni, et lamentabilem finem ebrietatis, vel crapulæ, didicistis. Si quis vobis peritus et sapiens medicus his ipsis verbis præciperet: Attendite vobis, ne quis v. gr. de illius, vel illius herbe succo avidius sumat, quod si fecerit, subitus ei veniet interitus, non dubito, quod unusquisque propriæ salutis intuitu, præmonitionis medici præcepta servaret. Nunc versus animarum et corporum Medicus, simulque Dominus, jubet ebrietatis herbam et crapulam vitandam, et nescio, si quis non his consumitur, ne dixerim, sauciatur. Sola est, quam simul cum corpore et animam debilem reddat. In cæteris enim potest fieri, ut, secundum Apostolum, cum infirmatur corpus, tunc magis potens sit spiritus; et ubi is, qui de foris est, homo corrumpitur, ille qui intus, renovetur; in ebrietatis vero aegritudine, corpus simul et anima corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitatur. S. **CYRILL.** *ALEX.* I. VII, in *Levit.*

Quia libertatem eripit, præcipuum hominis bonum; nam teste S. **AMBROSIO**: Manebat, antequam vinum inveniretur, omnibus inconvensua libertas, nemo sciebat a consorte naturæ suæ obsequia servitutis exigere. Non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset. S. **AMBR.** I, de *Elia et jejun.* c. v.

Quia finalem impotentiam adducit; unde Christus monuit: Attendite vobis, ne graventur forte corda vestra in crapula et ebrietate; et superveniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim superveniet. **LUC.** XXI, 34.

Quia fere insanabile est hoc vitium, utpote cui illud Deuteronomii applicatur: «Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.» **DEUTERON.** XXXII, 33.

Ubi vinum veneni nomine appellatur, quia corpori pariter et animæ mortem adfert, nec est mithridaticum vel theriaca, quæ contra illud prevalere possit, et ideo venenum est insanabile, id est, vitium sine remedio. S. **AMBROSIIUS** quoque circa hunc locum observat dicens: Pulchre dicitur insanabile; multi enim a reliquorum serpentium veneno curantur, nemo ab ebrietate; atque hæc est causa, inquit idem S. **DOCTOR**, cur vinum non cullibet veneno, sed draconum, quod est in-

sanabile, assimiletur. S. AMBR. de *Elia et jejun.* c. XIV.

MEDIA.

Abstinere a conviviis; ita Salomon monuit dicens: Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessionibus eorum. PROV. XXIII, v. 20.

Hinc SS. Ambrosius et Augustinus, neque in patria petiti ibant ad convivium, ne temperantiam amitteretur modus.

Per orationem frequenter gratiam abstinendi a Deo petere; ita iterum S. Augustinus l. c. consultit dicens: Qui sunt ebriosi, cum adjutorio Dei de luto factis se excutiant, vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus est ponendi, festinent, quanta possunt celeritate, Deo auxiliante, consurgere, et totis animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant: Eripe me de luto, ut non inhaream. S. AUG. s. XXIII de Temp.

Paulatim sibi aliquid de potu subtrahere; uti idem Sanctus suasit dicens: Sed hic ante omnia scire debemus, quia non una die efficiuntur homines ebriosi, sed cum paulatim per singulos dies singulos sibi aut binos calices ad potum consuetudinarius addunt; sic qui se de hoc malo desiderat liberare, paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui enim per partes aliquid subducere voluerit, et de ebrietate liberabitur, et intolerabilem inferni poenam non patietur. Ibid.

Fellis Christo in cruce oblato meminisse; ita Climacus suasit dicens: Ubi poculum bibiturus sumpseris, aceti et fellis Domini Dei tui ne obliviscaris, et omnino vel moderate bibes, vel ingemises, vel certe humilior inde et modestior evades. S. CLM. grad. XIV.

Ebriorum mores et facta inspicere; ita Pythagoras consultus a quopiam ebrioso, qua ratione ebrietatem vitare posset? respondit: Si, que per ebrietatem facis, animo volvas. Hinc et Lacedæmonii, ut filiis suis ebrietatem interdicerent, aliud non faciebant, quam ut servos inebriarent. PYTHAG. apud Stobæum, s. XVIII.

Medium aliquod naturale ebrietatem impediens adhibere; qualia sunt, vinum aqua diluere, brassicam vel rapam crudam, vel oleum, vel parum panis aqua superbibita tincti, vel amygdala amara, vel nucem mu-

scatam, vel de aliis cibis pluscum sumere ante quam bibatur; sic enim vinum impeditur, quominus spiritus in caput emittere possit. GORAT. in *Acc. Canon.* c. LI, §. 1.

ASCETICA.

Primum est, ut disceat, respectum humanum deponere. Solent enim, teste S. Augustino, ebriosi ita se excusare, ut dicant: Persona potens me coegit, ut amplius bibam, et in convivio Regis non potui aliter facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætedimus, et quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Etiamsi ad hoc veniretur, ut diceretur tibi: Aut bibas aut morieris! melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falso objicitur; ipsi enim reges, et quicumque alii potentes, si te viderent defuisse, ut eis non acquiescas, pro timore Dei inebriari; si tibi sub hora videantur irasci, postea vero te in grandi admiratione suscipiunt dicentes: Quantis eum minis et terroribus fatigamus, et tamen nunquam eum a sobrietate separare potuimus. Addit vero postea: Ille, qui ebrietati resistit, si eum Dei adjutorio perseveraverit, et pro ipsa aliquas ille pertulerit tribulationes, omnia ei Deus ad Martyrii gloriam reputabit. S. AUG. ser. CCXXXII, de *Ebrietate*.

Alterum est, ut pariter bene condiscat moderari delectationem in potu subreptem, eumque in finem meminere sententia S. Augustino prolata, dum ait: Hoc me docuisti, ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentia molestia transeo, in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentia. Ipse enim transitus voluptas est, et non est alius, qua transeatur, quam quo transire necessitas cogit. Et cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tamquam pedissequa periculosa iuventus, et plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriusque est, nam quod salutis satis est, delectationi parum est. S. AUG. l. X, *Conf.* c. XXXI.

Tertium est, ut, quemadmodum ebrietatem corporalem totis viribus fugere ac distuadere debet, ita pari studio spiritualem

ebrietatem procurare ac suadere conetur, de qua S. Bernardus illud Psalmi: Calix meus inebrians, quam præclarus est, explicans ait: Inebriat amor Dei ad contemptum mundi; calefacit, quia ferventes facit; acuit, quia erudit; audaces facit contra adversa, fortes a Carne, Mundo, et Dæmonibus invincibiles, obliviosos, eorum scilicet, que retro sunt, et in futura extentos, discretos erudiens ad Justitiam; somnolentos ad temporalia et tædiosos; ad invisibilia preparanda pronos et promptos.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Vinum et ebrietas auferunt cor. » OSEE, IV, 11.

Potest stultitia ebriosorum demonstrari ex sequentibus capitibus. 1. Quia bibunt præter naturæ appetitum. 2. Quia gloriantur, se posse magnos haustus facere, cum tamen etiam hoc mulus faciat, ut aliquando Aristippus cuiquam dixit. 3. Quia cum famulus recedat ab hero verberante, ipsi non profugiunt a vino quotidie caput obtundente. 4. Quia in aliorum sanitatem bibendo propriam lædunt. 5. Quia voluntariam insaniam accersunt, et se in bestias transformant. 6. Quia cogunt ad bibendum ultra appetitum, cum tamen obtrudere evacuandam magnam patinam cibo referam stultissimum censerent. Videri possunt hæc fusius explicata apud Fabrum, conc. 2. in Dom. Quinquag. Item Henr. Engelgr. part. I *Cæd. Emp.* die 2 *Bach.* § 1.

Ex occasione thematis: « Ingredditur blande, sed in fine mordebit ut coluber. » PROV. XXIII, 31.

Possunt explicari proles ebrietatis, seu vitia, que ex ea nascuntur, quorum primum est *Luxuria*, juxta illud S. Pauli: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. EPH. v, 18. Secundum, *Impudentia*, juxta illud Threnorum: Inebriaberis atque nudaberis. THEREN. IX, 21. Tertium, *Insania*, juxta illud OSEE: Vinum et ebrietas auferunt cor. OS. IV, 41. Quartum, *Ira et Contentio*, juxta illud Salomonis: Cui iræ? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? PROV. XXIII, 29. Quintum, *Contumacia et disciplina Contem-*

Tomus II.

ptus, juxta illud Isaia: Erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, id est, Deum contempserunt. IS. XXVIII, 7. Sextum, *Hæresis et Perfidia*, juxta illud Ecclesiastici: Vinum et mulieres apostatate faciunt sapientes. ECL. XIX, 7.

Vide hæc fusius apud Fabrum, conc. 5 in Dom. 2 post Epiph.

Ex occasione thematis: « Vinum multum potatum, etc. ruinas multas facit. » ECL. XXXI, 38.

Explicari possunt damna et ruinae, quas causat ebrietas. 1. *Ruina Corporis*, dum destruit sanitatem, imo et vitam ipsam aufert et abbreviat. 2. *Animæ*; propter crapulam enim multi perierunt. 3. *Opum et divitiarum*; quia, qui amat vinum et pingua, non ditabitur. 4. *Famæ*; quia vinum et mulieres arguent sensatos, teste Siradice.

5. *Reipublicæ*; quia, sicut privati domibus nihil nocentius est quam ebriosus paterfamilias, nec navibus quidquam periculosius, quam navarchus temulentus; ita nec Reipublicæ majora creantur pericula ab aliis vitiis, quam a temulentia Magistratuum. Vide hæc fusius apud Fab. 2, conc. 3 in Dom. 6, post Pent.

Ex occasione thematis: « Vinum et mulieres auferunt cor. » OSEE, IV, 21.

Narrari potest, quod sociis Ulyssis a Circe evenisse scribitur Poetae, dum iis potum obtulit, et in suos convertit; OVID. l. XIV *Metamorph.* dicique, idem evenire ebriis per vinum nimium potatum. 1. Quia *carere ratione*, ut sues. 2. Quia ut sues *voluntur in luto luxurie et impudentie*. 3. Quia ut sues *grunniunt*, et clamore suo incondito aliis molesti sunt. 4. Quia ut sues *graviter olent et fetent* non tam corpore, quam animo per malam, quam apud homines acquirunt, aestimationem. 5. Quia ut sues maxime silvestres in obviosis quoque *irruunt*, si vel parum irriterunt, sequo ultro telis objiciunt, et perimunt. 6. Quia ut sues pingues macello Diaboli *destinantur*, et gratum eis cibum efficiunt. Vide Fabrum, conc. 5 in Dom. 4 post Epiph. n. 3.

Ex occasione ejusdem thematis narrari potest, quod Josephus de Noe narrat, quod scilicet, cum invenisset vitem silvestrem, seu labruscam, acceperit sanguinem leonis, agni, galli, porci, et ursi, et ex illis terræ commixtis fimum faciens ad radicem labruscarum posuerit, sicque vinum dulcoravit. Hinc factum: 1. Ut ebrii sint audaces ut

leones, et omnia pericula corporis et animæ cōhibeantur. 2. Ut velut *agni* ducantur ad victimam, et sacrificentur Diabolo. 3. Ut velut *galli* gallinæ sint superbi et pugnaces, aliosque omnes facile contemnant, et ad rixas provocent. 4. Ut velut *porci* se in omni luto vitiorum volent. 5. Ut velut *ursi* sint rapaces, præcipue famæ alienæ, imo et vitæ spiritualis, dum alios ad ebrietatem incitant, vel cogunt. Quæ omnia facile fusius explicari possunt.

Ex occasione thematis : « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. » MATTH. XXVI, 39.

Demonstrari potest, quam amarum calicem ebriosi offerant Christo, id quod facile prætabitur, si gravitas peccati ebrietatis ostendatur. 1. Quia multorum aliorum vitiorum origo est, præcipue Hæresis, Odii, Luxuriæ, Iræ, Acediæ, Furti, Mendacii, Detractionis, Blasphemie, etc. 2. Quia multos secum in societatem trahit, omnes scilicet, quos vel exemplo, vel verbo, vel coactione ad ebrietatem impellit. 3. Quia rationi magis, quam alia, omnia contrarium est. Quid enim magis dissonum rationi, quam ut homo privetur ratione? Introducatur in fine Christus rogans, ut auferamus hunc calicem ab ipso, et ostendatur, quam durus debeat esse animus, qui illum exaudire non vult.

Ex occasione thematis : « Tradetur Gentibus, illudetur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum. » LUC. XVIII, 33.

Potest narrari historia de Christo ante hospitium vulnerato jacente et dicente, se tam male tractatum fuisse ab iis, qui in hospitio computationibus vacant; dicatur proinde, idem dieturum Christum in cruce pendentem, scilicet potissimam suæ Passionis causam ebriosos esse. 1. Quia ipsi calicem amarum Passionis præsentant et agoniam procurant. 2. Quia ipsi actionibus et verbis impudicis flagellant. 3. Quia scurrilitatibus et levitatibus suis, ac convitiis ipsum coronis spineis coronant. 4. Quia dum rixis, verberibus, lusu et perditione pecuniarum aliis vehementer molesti sunt, gravem illi crucem imponunt. 5. Quia blasphemando, aliisque similia graviora peccata committendo, omnino illum crucifigunt.

Ex occasione thematis : « Attendite vobis, ne forte corda vestra graventur in crapula et ebrietate. » LUC. XXI, 34.

Possunt proponi media triplicia, et funiculo triplici, qui difficulter rumpitur, per

quem a casu in foveam ebrietatis et inferni cōhibeantur, comparari. 1. *Naturalia*, qualia sunt sumere brassicam, oleum, amygdala amara, aut cibos alios impediētes, ne vini spiritus in caput ascendat. Item paulatim sibi de potu aliquid subtrahere. 2. *Moralia*, qualia sunt ebriosorum mores, damna ebrietatis perpendere, Christi calicem amarum considerare. 3. *Supernaturalia*, qualia sunt oratio fervens, frequentior Eucharistia sumptio, victoria sui aliquoties repetita, etc.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

DAMNUM. — Ingenioso admodum epitheto ebrium Divus Chrysologus afficit, dum ait : Ebrietas est demon blandus; quot autem, quantique nihil ducunt, ab hoc possideri spiritu; imo eundem omnistudio et sollicitudine indagant? Sed ut veraciter S. Basilus docet : Lymphatus et malo demone captus, misericordia quidem dignus, ebrius vero, eandem fere et ipse patiens, minime misericordia dignus, qui spontaneo servit demoni. S. BASIL, hom. XIV. de *Ebrietate*.

Franciscus Petrarcha, in quadam epistola sua, adversus ebrietatem acerrime invēhens, singulos enumerat cyathos et crateres, qui in conviviis, ut plurimum præbebuntur : « Primus, inquit, crater pertinet ad sitim. Secundus ad lætitiā. Tertius ad voluptatē. Quartus ad ebrietatem. Quintus ad iram. Sextus ad litigium. Septimus ad furorē. Octavus ad somnum. Nonus ad morbum. » PETRARCHA, III, ep. IX.

Plato, vir sapientissimus, inter alias leges ita statuit : Multo magis, quam Cretensium Lacedæmoniorumque usu, Carthaginiensium legem probant, ut nusquam in castris quisquam gustare vinum audeat, sed toto illo tempore aqua bibatur. Sed et Magistratibus eo toto anno, quo magistraturæ funguntur, mandatum, gubernatores suos, atque iudices munus suum obituros a vino penitus prohibent. PLATO, de *Leyibus* l. II.

Quia, ut apud Oseam dicitur : *Vinum et ebrietas auferunt cor*; quando enim corpus nimio vino repletur, ratio pariter, et discursus amittitur. Nam ubi est crapula, inquit Laurentius Justinianus, ratio cespat, intellectus obtunditur, consilia deviant, iudicia subvertuntur.

Plutarcus curiosam quandam narrat

historiam præsentis proposito nostro valde opportunam. Cum enim apud Pyrrhum nonnulli juvenes acusatī essent, quasi simul epulantes, variis detractionibus et injuriis ejus dilacerasset famam, ille eosdem die sequenti coram se apparere præcepit. Primumque ex his percunctatus est, an de se talia dixissent. Omnino respondit unus, talia et his plura dixissemus, si plus vini nobis fuisset. Cui responso Pyrrhus acquievit, probe intelligens, quod Euchius non sibi compos. PLUTARC. in *Apoph.*

Idem Plato, in *Phædra*, asserit : Nequam est Philosophi circa delectationes gustus versari. Unde cum quidam interrogasset Platonem. Unde tibi sapientia tanta? Respondit: Quia plus consumpsi de oleo in lampade, quam de vino in calice. PLATO, in *Phædra*.

Quæ causa est, quod Moyses pro populo Israelitico idololatrante interesset, non vero pro guloso? Num forte idololatria minus peccatum est, quam si honor et cultus Deo debitus conculcetur, et homini fictili, operi manuum hominum, attribuat; cur igitur Moyses populum idola adorare videns, regimine illius se exonerare voluit, non vero item, quando gulosus carnes a Deo sibi dari postulavit? Clara est ad hoc responsio, quia idololatria facilius curari poterat, dum enim videbant, quod vituli illius comminuti pulveres ab eis potati, foetida excrementa egerent, manifeste agnoscerent poterant, illum verum Deum non esse, qui per secessum evacuetur; at vero gula et crapula, cum omnia vitia annexa habeant, sintque vitia natura sua inemendabilia et incorrigibilia, Moyses se ad illum populum deinceps gubernandum minime sufficere credebat; quia, ut Cajetanus ibidem dicit, peccatum gula est quasi incorrigibile; cognovit Moyses preces suas pro illis in hoc casu effundendas, minime exaudiendas fore, quia sciebat, Deum contra hoc peccatum omnino inexorabilem esse. MANSI, XVI, 4.

Maximilianus I, Imperator, ac ceteri Principes ac Electores, seorsim, et una in Comitibus, sæpius propinationes veterunt. *Profat.* 1 et 2. Et quidem, anno 1512, a dicto Maximiliano I, Imperatore, et Electoribus, ac Statibus, in Comitibus Treviris ceptis, ac Coloniae finitis, singulari articulo prohibita fuere hujusmodi propinationes. Ubi dicitur: Etsi in prioribus aliis Comitibus sæpius ea prohibita fuerint, parum tamen id fuisse

observatum. Hinc quia e propinationibus nascitur ebrietas, ex ebrietate omnis generis scelera, blasphemie, cædes, et alia plura mala; ita ut tales combibones de honore, salute, rationis usu, vitæ et bonorum jactura periclitentur, præcipi omnibus ubique Dominis ac Magistratibus, ut in suis ditionibus eam consuetudinem perpotandi tollant in se et subditis suis, ac sub gravibus pœnis prohibeant. Quod si nobilitas vitare nollet, a Principis ac Cæsaris aulis arceantur, inferiores vero etiam in corpore severe puniantur. Quod si ullus Magistratum in executione hujus mandati compertus fuerit remissius agere, is a Cæsareo Fiscali plectatur decenti multa, uti et ii, qui esubditis contra id deliquerint. Adhibeanturque opera, ut iis locis ubi viguit ebrietas, omni studio aboleatur. JOAN. SCHWARZENBERG. in *Præf.* II, l. contra *Propinas*.

S. Basilus ait : Ebrietas est demon voluptarios ex voluptate animabus nostris inditus. S. Augustinus inquit : Demone, venenum dulce est, peccatum suave est. S. Gregorius ebrietatem vocat blandum demonem. Unde S. Clemens Alexandrinus, dixit: Iis, qui ad luxum mensuram propensis sunt, et suos ibi morbos enutriunt, preest demon helluo maximus, quem ego non verebor appellare ventris demonem, demonum omnium pessimum et perniciosissimum. Cui consentiens S. Chrysostomus : Ubi multum merum est, inquit, ubi mensa referta, et ad satietatem comessatio, ibi turpitudō, ibi omnis pompa satanica.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Quidam ubi in taberna poculum cerevisiæ, et aliud vini depictum vidit, subscriptis hoc lemma : *Meliora sunt opera Dei, quam hominum.* ENGELSA. in *Dom.* III, post *Epiph.*

Alius in balenam converti cupiebat, modo mare Creticum in merum Creticum converteretur. *Ibid.*

Quibusdam Philippum Regem laudantibus, quod facundus, formosus, vini capax esset, scite Demosthenes subjecit: Prima laus sophistarum est, secunda feminarum, tertia spongie. *Ibid.*

Asclepiadis pronuntium est, super mensam primum haustum esse necessitatis, so-

cundum voluptatis, tertium ebrietatis. Apuleius vero dicere solebat: Primum ad sitim, secundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam pertinere. Suidas tres haustus permittit sapienti, scilicet valetudinis, voluptatis, et somni. lb. §. r.

Panthera hieroglyphice ebrietatem designat, quia vini admodum avida cum sit, a venatoribus, fontibus, ex quibus illa bibere consuevit, vino fortissimo repletis, capitur. VALER. l. XI p. 103.

Anonymus quidam Lacon, cum audisset quosdam cogi in cœna ad bibendum, num etiam ad edendum cogentur, quæsit, in- sinuans: Sicut absurdissimum est, cogi alique ad certam ciborum quantitatem; ita non minus absurdum esse, aliquem ad certum poculorum numerum compelli. PLUTARCH. in Lacon.

Cum a Rege Ferdinando ludi celebrarentur, ab omnibus aliis insigniter laudati, Germanus quidam exclamans dixit: Valeant ludi in quibus nemo bibit. PONTAN. in *Attic. bell.*

Fuit, qui Organi in morem fistulas vitreas ordine dispositas habebat, quæ singule singulos sonos percussæ reddebant, ut, utiliter, re, realiter, mi, mirabiliter, fa, facilliter, sol, solemmiter, la, laerymabiliter, ut præ dulcedine lacrymæ fundantur. ENGELG. l. c.

Alphonsus Magnus dicere solebat, amicitiam tribus servari, pileo, id est, perhumaniter salutando, folio chartæ, id est, litteras scribendo, vitro, haustum bonum propinando. Ibid. §. 4.

Androcles ad Alexandrum M. scribens, intemperantia ejus cohibitorus: Vinum, inquit, potaturus, Rex, memento te sanguinem terræ bibere. PLIN. l. XIV, xv, 5.

Leotychidas rogatus, cur Spartiate parum bibant? respondit: Ne pro nobis contenti alii, sed pro aliis nos. PLUTARCH. in Lacon.

FGA. — Pythagoras, in ebrios olim incidens, jussit tibiicem convivio luxurioso præsidens mutare harmoniam, ac doricon illis canere, atque hoc modo melodiæ illos ad sobrietatem reduxit, qui, ejectis de capite coronis, omnes erubuerunt. ENGELG. p. 2, *Celi Emp. in fest. S. Cæc.*

DAMNUM. — Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scythiis, cum dein frigidam aquam bibisset: Dii boni, inquit, quam brevis voluptatis causa quantum deposui felicitatem! ERASMUS ROTEROD. in *Simil.*

Cum olim milites aliquot Tarentini inter cœnandum multa liberius in Pyrrhum Regem dixissent, ideoque ad Regem acetii essent, unus illorum ad Regem dixit: Fatemur nos hæc dixisse, et acerbiora longe dicturi eramus, nisi lagena nobis defecisset; quo dicto Regis iram in risum vertit. Idem, *Apoph.* l. VI.

Recte cecinit Ovidius:

Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent.
Ista pudore vacat, liber, amorque meta.

OVID. l. I, *Amor eleg.*

Recte item Virgilius ebrietatis effectus descripsit sequentibus versibus:

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Uno namque modo vina, Venusque noceat.
Ut Venus enervat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.
Multos cœcus amor cogit secreta fateri.
Arcanum demans detegit ebrietas.
Bellum sæpe petit ferus exitiale cupidio.
Serpentanus titidem Bacchus ad arma vocat.
Denique cum mentes hominum furiant uterque,
Et pador, et probitas, et metus omnis abest.
Compeditus Venerem, vinculis adstringe Lyæum,
Ne te minoribus lædat uterque suis.
Vina sitim sodant, natis Venus alma creandis;
Sed fines horum transiitisse noceat.

VIRGIL. de *Vino et Venere.*

Sed et Propertius non male eundem in finem cecinit:

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.
PROPERT. l. II, *Eleg. ult.*

Ovidius quoque iterum:

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos,
Cura fugit multo, diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper coram sumit,
Tunc dolor et curæ, rugaque frontis abit,
Tunc aperit mentes vivo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

OVID. l. III, de *Art. am.*

Diogenes quondam præteriens domum violenti prostitutam dixit: Sciebam, domum istam vino ebriam dominum evomituram; ea jam ructat. BAUSON. l. III, c. XIII.

Si furibus in domum ingressis quispiam daret claves omnium cistarum, unde maxima illi damna inferrentur, quis non videtur illi indignaretur? Atqui hoc totum ebrietas facit, vitii claves offerens, quibus hominem expolient. FAB. c. III, in *Dom. vi. post Pent.*

De cerevisia ebrietatem procurante non illepe cecinit Poeta:

Unde suum ducat, quæris, cerevisia nomen?
Quod cerebrum visat sæpe, Sabelle, tuum,

APUD ENGELG. in *Dom. ii. post Epiph.*

De vini effectibus recte iterum cecinit Poeta:

Tu lene tormentum ingenio admoves,
Plerumque duro. Tu sapientium
Caras, et arcana jocoso
Consilium detegis Lyæo.

HORAT. *Od. XXI, l. III.*

Plato dicere solebat, nullum tormenti genus minus sumptuosum, minusque noxium et periculosum esse, quam vinum ad explorandos hominum affectus et mores. PLATO l. II de *Legib.*

Scito symbolo veteres picam Baccho sacram fecerunt, quia sicut pica garrula, quidquid audierit, narrat; ita et ebriosi. NATAL. *Comes Mytholog.* l. XV.

S. Chrysostomus ebrietatem vocat morbum veniam non habentem, ruinae executione carentem, commune generis nostri opprobrium. S. CHRYS. hom. ad *Pop. Antioch.*

ADAGIA.

Anima sicca sapientissima.

Qui multum bibit, parum sapit.

Quoties quis ebrius, toties puer est.

Si noceat vini potatio vespertina.
Hanc mane repetas iterum, et fiet medicina.
Multum temetum fit acerbum in corpore acetum.
Vinum dumque premit, mens cruciata gomit.

FLORILEG. p. 1. f. 778.

Non inepte quidam dixit: Plures poculis occumbere, quam spiculis; lanceibus, quam lanceis, quibus cœna pœna, pulpa culpa, spicula pocula, vagina lagena, prælia prandia, stratagemata fragemata.

Bacchus et argentum mutant mores sapientium.

Post vinum verba, post imbrem nascitur herba.

Bis sex, creditis, species sunt ebrietatis: Ebrius est primus sapiens, est alter optimus, Tertius grande vorat, quartus sua crimina plorat, Quintus luxuriat, sextusque per omnia jurat, Septimus ascendit, bis quartus singula vendit, Nonus nil colat, quod habet sub corde revelat, Somnia dens amat, undecus turpia clamat, Et cum sit plenus, vomitum faciet duodecus.

BUCHLERUS V. *Ebriet.*

Quo tibi potarum plus est in ventre salutum;
Hoc minus e potis hisce salutis habes.

AUCTORES.

Joannes Bæsus, in Panario V. eodem.

Georgius Gobat, in Acusatione Canonice.

Josephus Langius, X. eodem.

Philippus d'Outremanin, Pæd. Christ. p. 4, c. VII, §. 6.

Ludovicus Granatensis, in Silva locorum comm. f. 334.

Joannes Dadræus, in Locis simil. V. eod.

Hieremias Drexelius, in Tobia, p. 2. c. IV et in Josepho, c. XIV.

Jacobus Marchantius, in Tuba, Sacerd. tr. V, lect. v. et sequent.

Henricus Engelgr. in Cœl. Emp. p. 1. Festo Pentec. § 2 et seq. Item. p. 4, Luc. Evang. in Dom. 2. post. Epiph.

Mathias Faber, in Dom. 2. post Epiph. conc. 5 et 6. Item, conc. 3 et 4. in Dom. 6. post Pent. Item, in Auctario. them. 5. in Dom. 4. Quadrag.

Petrus Canisius, in tom. ult. de Vitiis capitalibus.

Georginus Scherer, conc. 4. in Domin. Quinquages.

Josephus Mansi, in Bibl. Moral. tract. 31.

EDUCATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est sollicitudo de iis hominibus, qui curæ nostræ commissi sunt, sive alendis (quo nomine cura etiam valetudinis, vestitus, et habitationis intelliguntur) sive bonis moribus et disciplinis imbuedis; in his enim officiis tota Educationis ratio consistit.

DIVISIO. — Dividitur in corporalem et spirituales; prior est, quæ ad corpus alendum et perficiendum ordinatur; posterior est, quæ circa animum instituendum occupatur.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Filii tibi sunt, erudi illos, et cura illos a juventute sua. ECCL. VII, 23.

Qui diligit filium, assidat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. ECCL. XXX, 1.